QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS

MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM,

Die Martis 27. Martij.

M. CLAVDIO GERMAIN, Doctore Medico, Præside.

An in magnis inflammationibus & doloribus, sanguinis missio ad animi deliquium?

I.

SEMEN ab universo utriusque parentis corpore decisum, compendiosam, sed efficacem partium omnium ideam continet. mores insiti, morbi congeniti in tam pusillo, invisibili & spirituali principio suas viviradices firmant, quæ in natis non raró sopitæ feriantur, ut acriùs reviviscant in nepotibus, avis quàm parentibus similioribus. Ne credas cum Genethliacis ex fœlici vel infœlici, ut aiunt, syderum conjugio in nativitatis puncto, mortalium faustam vel infaustam sortem pendere. Spiritus ille genitor, sui domicilij architectus & custos fidissimus, proportione respondens elemento stellarum, sit tibi cœlum in quo fata nostra variè sigillantur: hujus pravam indolem vix Moralis Philosophiæ præcepta, vix artis magistræ leges, vix caloris nativi ἐκλάμψεις immutabunt. Gaudeant benè nati, & tempestivo ac moderato rerum non naturalium usu, dè bonis animi & corporis sibi prospicientes, fœlicem ac beatam ducant vitam. Labor, cibus, potus, somnus, venus, animi perturbationes, omnia mediocria. Hos fines si transilieris, ingens succrescet vario-

rum & diverſorum excrementorum cumulus, quæ aut nimiâ mole calorem nativum obruent, aut frigidâ qualitate extinguent, aut quod frequentius eſt magnâ inflammatione & igne uſtulatore cum acerbiſſimis doloribus citiſſimè exhaurient. Sic major flamma minorem extinguit.

II.

DOLOR, ſymptoma naturæ infenſiſſimum, ſentientem ſpiritum cruciat intemperie & ſolutione continui: Calida acribus, ſalſis, amaris atomis pungit, irritat, inflammat. Frigida acerbis, auſteris violenter conſtringit, acidis ſtuporem inducit, coagulat, dividit, ulcerat, adurit, nonnunquam gangrænoſim parit. Mirere interim ex contrariis cauſis ſimiles effectus produci, & ſimilibus aliquandò tutiùs quàm contrariis curari: nullum emorienti à frigore parti præſentius auxilium nive diu multumque affrictâ: uſtioni ab igne vini ſpiritu, qui quò defœcatior ac ſubtilior, eò citiùs dolorem demulcet & ſanat. Non falleris nec falles, ſi dolorum differentias ex ſaporum diverſitate diſtinguas, calidum, frigidum, humidum & ſiccum ſola exiguas habent vires. Acria, ſalſa, amara, acerba, auſtera, acida cùm ad ſuas ἀκρότητας per διάκρισιν pervenerunt, ut linguæ, ſic aliis partibus ſenſibilibus cute denudatis, diverſos doloris & triſtitiæ ſenſus inducunt, quos paregoricis tutò, narcoticis inſidioſè, tutiſſimè evacuatâ cauſâ morbificâ delinies.

III.

INFLAMMATIO omne morbi genus complectitur, ſimilare, organicum, & commune, ſanguinis eſt per venas & arterias uberiùs in partium inania ſpatia influentis ſoboles; calore, rubore, dolore, renixu, pulſu moleſto ſe prodit. Quocunque in loco ſedem fixerit pro illius varietate & humoris indole varia ſortitur nomina, diverſaſque induit formas: εὐήθης eſt vel κακοήθης, εὔκριτος vel δύσκριτος, ſi magna fuerit, præſens ſemper διαφθορᾶς periculum aut partis aut univerſi corporis minatur: Fruſtrà naturæ fatiſcentis auxilium per diaphoreſim & laudabile ſuppuratum expectabis: In initio, augmento & ſtatu infenſiſſimus eſt omnium catharticorum uſus, etiam in pleuritide inferâ, nihil detrahunt à parte inflammatâ, affluentis ſanguinis efferum orgaſmum

 647

exasperant, fervorem adaugent, naturæ laborantis vires magis prosternunt, illamque pro suo jure humorum pepasmo incumbentem interturbant. Sola spes fit in liberali evacuatione, quæ si validæ sint vires, simul & semel omnem aut saltem majorem partem sanguinis copiâ & qualitate peccantis citissimè eliminet, cui si accedat tenuissima diæta, & frequens refrigerantium ac lenientium medicamentorum usus, quæ humorum acrimoniam demulceant, omnes veræ & legitimæ curationis scopos adimpleveris.

I V.

SI benè calculum ponas, nihil in totâ arte nostrâ negotiosiùs esse deprehendes quàm dè remedij evacuantis & humoris educendi quantitate accuratè definire. Prudens tamen & peritus Medicus qui morbi magnitudinem ἐν τὸ γίνεσθαι καὶ ἐν τὸ εἶναι, & ægrotantis vires tum præsentes, tum futuras sagaci conjecturâ ut proprijs τεκμηρίοις exactè præviderit & cognoverit; vix à scopo, inquam, aberrabit. Concoctum & mitificatum humorem convenientibus catharticis per ἐπίκρασιν repetitis semper tutò excernes, nunquam securè mochlicis, quæ suæ malignitatis labem inurunt partibus Principibus, utiles & benignos succos corrumpunt, corruptos unâ cum noxiis & constanti virium exolutione ad animi deliquium eliminant. Secùs de sanguinis missione sentias velim quæ in magnis inflammationibus & acerbissimis doloribus per ἐπαφαίρεσιν celebrata, quia non omnem mali causam citò eliminat nihil ferè aut parum affert emolumenti; cum superstes fervens & corruptus sanguis in suæ putredinis consortium, purum & laudabilem trahat; hinc perennis generatio humoris morbifici, perennisque affluxus ad partes affectas: sic in multos dies cum insigni virium jacturâ & maximo vitæ discrimine prorogatur crudeliter morbus, qui sanguinis missione simul & semel celebratâ ad animi deliquium, omni aut saltem majori ex parte evacuatâ causâ morbificâ confestim sanaretur, aut mitesceret cum fugaci & facilè reparabili virium detrimento.

V.

QUID ergo dubitas Hæmophobe more veterum largâ manu ad quinque aut sex libras, & ad lypothy-

648

miam usque sanguinem detrahere. An Hippocrates & Galenus illud Præsidij genus temerè consuluerunt, & in usum revocarunt? Qui dè ptisanâ innoxio planè medicamento pleuriticis tempestivè exhibendo, tam severas leges posteritati reliquerunt. An quia senescente mundo attritæ hominum vires tam amplam sanguinis evacuationem vix ferre possunt? Nequaquam. Sola Medicorum timiditas imperitæ multitudinis malesanis votis auscultantium ægrotantibus illud salutare præsidij genus interdixit; quo momento temporis ardentissimæ febres, synochi putres, imputres non ægrotantes jugulantur. Sic securæ phrenitidi, anginæ, pleuritidi peripneumoniæ, magnis viscerum inflammationibus, acerbissimis articulorum doloribus, carbunculis, lassitudini phlegmonosæ, omnibus denique morbis quos parit sanguinis ubertas æstus & putredo medeberis, in corporibus plethoricis, πολυαίμοις, εὐχρόοις εὐσάρκοις; copioso enim & ad animi deliquium detracto sanguine, statim caloris extranei æstus compescitur, & natura levata omnibus recollectis viribus alacrior insurgit ad reliquias causarum morbificarum exterminandas per alvi profluvium aut sudores quos blandus excipit somnus sicque derepentè, & ad instar miraculi solvitur morbus.

Ergo in magnis inflammationibus & doloribus, sanguinis missio ad animi deliquium.

Asserebat Lutetiæ GABRIEL DACQVET, Lemovicensis, A. R. S. H. M. DC. LXVIII.

RESciant omnes & singuli Thesim à M. Francisco Blondel de Antimonio exaratam, sub nomine M. Claudij Germain his conceptis verbis expressam, & negativè conclusam, *Potuit-ne hactenus ullâ præparatione Antimonium emendari?* in Scholis Medicorum non fuisse disputatam, sed Typis mandatam, curâ solius M. Francisci Blondel, invitâ Facultate, & M. Ioanne Armandô de Mauvillain Decano vetante, vi Facultatis Decreti nonaginta duorum Doctorum suffragiis lati, Senatusque Consulto confirmati: Tum demùm quod die Mercurij 21. Martij 1668. novo & altero Senatus Decreto, orante Decano, prohibuit Senatus ne hæc Thesis de Antimonio in Scholis Medicorum propugnaretur.